



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**REPERTO||RIVM LIBRORVM TRI||VM IOANNIS BOEMI DE  
OM||NIVM GENTIVM RITIBVS,||**

**Boehme, Johann**

**Augustæ Vindelicorum, 1520**

**VD16 VD16 B 6316**

De Laconia & Laconum siue Lacedæmonum institutis. Caput Tertium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98144)

## De omnium gentium ritibus.

**Minerva Atheniensium legum author.** leges ad numen aliquod referre solent, ipse, quemadmodum Draco antea; Minervam suarum authorem dixit: atque in verba sua iurare in foro ad lapidem senatum populumque induxit. Fuerunt Athenienses non aduenas neque passim collecta populi colluies originem urbi dedit, sed in eodem nati solo, quod incolunt: & quae illis sedes, eadem origo est. Primi lanificii, & olei, & vini usum docuere, arare quoque & serere frumenta, glande vel centibus monstrauerunt: literae certae ac facundia, & hic civilis ordo disciplinae veluti templum Athenas habent. Tres leges, quae in Neptuni placationem a Cecrope in mulieres, a quibus deus ipse suffragio fastiditus fuerat, & Mineruae post habitus, late erant, adhuc obseruabantur, videlicet, ne vlla vnquam mulier senatum ingrederetur, vt nulla earum proles maternum nomen accipiat, ne quis eas Athenas siue Athenienses dicat, sed Atticas. Caesos in bello Thucidide auctore in hunc modum sepeliunt, facto ante triduum tabernaculo, mortuorum ossa proponuntur, & suorum quisque reliquias, si quid lubeat, imponit, quum efferuntur singularum tribuum singulas tribus suae quaque tribus ossa continentes vehicula portant. Vnus item thorax inanis fertur, constatus eorum, qui non extant, qui inter caesos non fuere reperti. Efferunt autem promiscue voluntarii quique vel ciues vel hospites foeminae propinquitate coniunctis ad sepulchrum eiulantibus, conduntque in publico monumento, quod est iuxta monumentum Callisti, apud suburbana, vbi semper eos sepeliunt, qui in bello ceciderunt: praeterquam, qui in Marathone, quorum singularem fuisse virtutem existimantes: eodem in loco sepulchrum foecerunt postea veroque eos humauerunt, aliquis ab ipsa ciuitate delectus vir haud quaque pro in consulto habitus, & cui pro dignitate conueniat, super eos orationem habet, qualem decet de eorum laudibus, qua habita disceditur, hoc quidem more sepeliunt quo per omne belli tempus quoties id accidit legitime vtuntur.

### De Laconia & Laconum siue Lacedaemonum institutis. Caput Tertium.

**Oebalia Lacedaemonia** Laconia in Peloponneso prouincia, quae & Oebalia & Lacedaemonia dicitur, a Lacedaemone Iouis & Thayerae filio: a quo etiam clara & potens ciuitas in eadem regione aedificata est atque appellata. Haec quoque Spartha dicta est, a Spartho Phoronae filio, Agamemnonis regia fuit. Lycurgus insignis philosophus Polydectis Regis frater quum vita illo defuncto Imperium relictum filii tutoris nomine aliquandiu administrasset, ciuitatis statum atque regionis in optimis institutis, optimis legibus excelsit. Quum antea ex omnibus fere Graecis soli Lacedaemonii pessime morati essent tam circa se quam circa hospites, nullo consuetudinis conuersationisque commercio. Lycurgus ergo audacter rem aggressus, omnia iura, instituta, & prisca viuendi ritus abrogauit, atque ciuiliora quaedam multoque laudabiliora instituit. Primum omnium seniores de republica electi qui cum Regibus qui duo numero creati sunt consultarent, is ordo velut arbiter fuit, inter regiam potestatem

**Reges simul duo apud laconiam regnabant**

tem, & vim multitudinis: ne, aut hæc contumacia sæuaret, aut Imperio illi, octo & viginti seniores (tot enim fuisse Aristoteles scripsit) duobus regibus assidebant, ne nimium Democratia inualesceret prouidentes: & rursus, ne qui Regnum tenerent tyrannicum quippiam molirentur, quæ hic ordo decreuisset, cætera multitudo ut sciret necesse erat. Addita deinceps post multos annos Ephororum potestas, huic paucorum administrationi, quæ Græco verbo Oligarchia dicitur, posteaque nimis uisa est ferocescere: estque quasi frænū concilio illi iniectum: accidit id tamen centesimo a Lycurgi interitu anno, quum Theopompus regnaret. Alterum ab Oligarchia institutum: agrorum diuisio, persuasit illi multitudini, ut solum omne Laconicum in medio positum æquis in singulos portionibus diuideretur: oportere ratus ciuem cui ingenio, & virtute, non luxu, & diuitijs præstare. Abijt igitur vniuersa terra in sortium nouem & triginta millia: in nouem milia urbanus ager. Paganicus & Municipalis in triplo & amplius maiorem numerum: portio quælibet ea fuit, quæ viro frumenti medimnos. lxx. foemine, xij. annuos ferret. Habuit a principio in animo & res mobiles diuidere, sed inuidiam veritus, quæ inde imminebat (plures enim videbantur id ægre laturos) omnem auri argenti que usum e medio sustulit, ferreumque nummum induxit, percussitque decussem, quem iussit minime valere, ac tum demum omnis furandi occasio sublata est. Ignitum ferrum ex quo nummum percussit aceto extinxit, ut ad rem nullam amplius ob mollitiem utile redderetur. Omnes ad hoc artes ut inuites vire eiecit: quantumque artifices ipsi sublato auri vsu sua sponte inde transmigrarunt, quum ferrei nummi apud alios in vsu non essent. Mox vero ut omnem ex ciuitate tolleret luxum, publica conuiuia instituit, ut diuites promiscue & inopes vni adhiberentur conuiuio, vniuersisque vescerentur epulis. Ac ne lautorum quisque coenatus in publicum veniret: qui minus cupide & hilariter vesceretur, ut parum frugi a proxime accumbentibus obiurgabatur: quo plane instituto omnis vetus e medio luxuria sublata est. Exarserunt ex ea re potentiorum iræ, impetuque in eum facto: alter est illi oculus baculo excussus, quare cautum, ne Spartiate cum baculo amplius ad conuiuium intrarent. Hunc conuiuandi ritum Philias dixerunt, haud dubio publicæ amicitie & humanitatis argumento: vel quod quasi Phiditia dicerent, quod ita conuiuando phidionum, id est parlimonie assuescerent. Qui sacrificij aut venationis causa conuiuio non occurrissent, his domi coenare permissum, cætera multitudo aderat: conferebant ad hoc conuiuium quotannis singuli farinae medimnum vnum, vini toros octo, casei quinque minas, ficuum quinque semis minas. Frequentabant id pueri etiam velut temperantiæ, omnisque ciuili disciplinae gymnasium: assuescere ibi urbanis sermonibus, iocarique comiter discabant, ac sine scurrilitate cauillari. In re vxoria haud tam pudice quam procreationi ob assiduam militiam est consultum, eo usque vxoribus indultum, ut eas viri heras appellarent. Virgines cursu, palestra, disco, iaculo, exercebantur: ut ocio & muliebribus delictis sublati robustiores ad tolerandos partus fierent, nudæ ut pueri in aperto versari, saltare & cantare in sacris quibusdam presentibus spectantibusque

Octo & viginti seniores

Democratia .i. principatus populi.

Ephorum potestas. Oligarchia.

Agri diuisio

Auri & argenti vsus e medio sublatus

Artes omnes apud Lacones sublatae

Publica conuiuia instituta a Lycurgo

Luxus omnis sublatus

Philias siue phiditia

Ad publicum conuiuium quod singuli conferebant

Vxores heras appellatae

Virginum stultitia

## De oim gentiū ritibus.

- Videtur.** iuuenibus: nudatio illa nihil turpe habuit: aderat namq̄ verecundia: petulan-  
tia omnis aberat. Hinc illa indoles tempestiuq̄ in Laconicis sceminis ad oīa  
promptitudo. Qui cœlebs vixisset Gymnicis spectaculis arcebat, nudiq̄  
hyeme forū circuibant, ne vt cæteri senes in honore apud iuuenes esset. Nu-  
bebant virgines raptu mature viro: Paranympa in cubiculum abducta capil-  
los ad cutem resecebat: sponsus inde ad eam ingressus cingulum soluebat,  
noctu tantum cum ea congregiebat, nec prius sponsam aspiciebat interdiu  
q̄ ex illa factus esset pater. Filiorum & sobolis dignis hominibus permiffa,  
Licebat seniorum cuiq̄ honestum ex iuuentute ac probum aliquem ad vx-  
orem procreationis causa adducere: atq̄ vbi eam alieno semine impleffet, suū  
quod nasceretur efficere, neq̄ probro dari si quis huic, qui fecundam pudic-  
camq̄ haberet vxorem suadere esset ausus, vt cum ea sibi congregi liceret,  
ceu bono fertiliq̄ solo operaturus liberorum causa. Ridebant ad hæc qua-  
rundam gentium stulticiam, q̄ canes & equas nunc precio nunc gratia opti-  
mis eius generis animalibus supponerent: vxores præsidio custodire: ex il-  
lis soli ipsi siue amentes essent, siue ægri infirmi q̄ generare vellent. Ius alen-  
di partus nullum parentibus, natus infans in publicum deferebatur ad locū  
Ieschem dixere, vbi magno natu viri pueri formā intuiti, si probassent, ex no-  
uem milibus fortium in quas vrbanus ager diuisus erat, vnam illi curabant  
adscribi. Infirmum & deformem ad apothecas locum, haud longe a Tayge-  
to præcipitem ac præruptum exponendum dabant, vt pote reipublice inuti-  
lem. Mulieres vino non aqua pueros abuebant, quo liquore admoto con-  
stāt resoluī corpora debilitariq̄, si qua sunt Comitiali morbo obnoxia. Nul-  
la loris fomenta adhiberi, nulla teneris crepundia, solitudinibus tenebrisq̄  
assuescere. Ob idq̄ externarum gentium quidam Laconicas nutrices liberis  
alendis adhibuerunt. Pueri a septimo anno in æqualium cœtus exerceri, lite-  
rasq̄ pro necessitate addiscebant: reliqua disciplina toleratu percipiebant: Ad  
cutem pueri tondebantur: nudis calcibus ambulare: duodecimo anno tunicā  
vnam patrio instituto sortiri, neq̄ balneas, neq̄ fomenta scire: Thoris ex arun-  
dine constructis quietem capiebant: Hyeme eos quos Lycophones dixerūt  
thoris immiscere: Iren qui cœtui præerat, is creabatur, qui vno anno aut alte-  
ro cæteros anteibat, grandiores lignari imperabat, minores onera furto que-  
rere. Maiorum conuiuia ingredi: inde etiam aliquid furari, qui deprehensi e-  
rant in furto flagris admouebantur: non quia nefas esset furari, sed q̄ parum  
prudenter, & ingeniose esset id ab eo factum. Iren quosdam canere iubebat,  
alios argutas quæstiones proponere, breue esse oportebat, subitūq̄ respon-  
sum, q̄ si quis negligentius fecisset, huius pollex ab Irene acrius mordebat.  
Instituiebantur ad hæc graui vt oratione, sed que iocunditate non careret, sen-  
tentijsq̄ breui sermone complexis, ita vt res in prouerbiū abierit, facilius  
philosophari homines posse, q̄ Laconicum sermonem imitari. Operæ preciiū  
est etiam cognoscere quale ab initio studium fuerit omnium ætatum, quanti-  
ta ad virtutem contentio, atq̄ æmulatio. In tris distincta erant choros omnis  
ætas. Tum in solennibus sacris seniorū cœtus canere exorsus, Fuimus olim

Comitiali  
i. herculeo  
vel cadu-

robusti & iuvenes canora voce pronuntiabant. Tum adultę ætatis cum excipiens, nos quidem iuvenes sumus & fortes respondebant: idq; si libet experiamini, ad eam puerilis chorus, tam boni erimus, & meliores. Plutarchus autem hoc est ad sua usq; tempora perdurasse Laconicos quosdam modulus, quibus illi ad tibiã in hostem ituri uti consueverunt, Thucydides Laconici huius instituti relator, tibiãrum modulus in prælijs usus scriptum reliquit: negat tamen id aliquo religionis ritu reuie diuinę causa fieri solitum, neq; ut vibrarentur animi excitarenturue ad pugnam, quod cornua & litui apud Rhomanos factitarunt: sed ut æquali modulatoq; sensim gressu conuenientes pugnam capesserent, nec suos ordines distrahi sinerent. Extat Laconici vatis carmen, quo apparet non tibiã solum Spartiãtis in procinctu usus, sed citharę etiam concentu: qui mos & ipse a Cretensibus sumptus videri potest, Herodotus Halyatem Lydorũ regem scribit fistulatores & fidicinas, & quod pene indignum relatu sit conuiuiorum etiam delicias in acie habuisse, eo bello, quod Milesijs intulit. Rhomani, præter cornuum & lituorũ concentum, ardentissimo militum clamore bellum capessabant, quod longe diuersum ab eo est, quod Homerus de Achæis scripsit, quos tacitos fecit sperantesq; robur in pugnam procedere. Galli tripudio, ut Polybius & Liuius scribunt, scutaq; super capita quatientes. Barbarorũ quidam cum ululatu prælium ineunt: ex qua rituum varietate potest intelligi, cæteras gentes non id quod Spartani in bellico concentu secutas. Capillos præterea a pubertate ex instituto alebant memorabili legumlatoris dicto comantibus capitibus multo pulchriora fereri humana corpora, quę si sint alioqui deformia, capillo haud dubie ferocescant. Prælium initurus rex Musis caprã immolabat. Domi Militiæq; certa viuendi lege sunt vsi, bellicęq; exercitatione, patrię nõ sibi natos arbitrantes, Nullas quæstuosas tractabant artes, bellicę tantum exercitationis studio teneri. Solennibus epulis reliquum dabatur tempus, eoq; per hæc ventum est, ut quemadmodum præclare scribit Plutarchus, Spartani neq; nolent, neq; si velent, scirent amplius priuatim viuere, essentq; ex omni parte patrię dediti. Suffragandi ratio, ut cætera ab alijs gentibus diuersa, pauci ad hoc ipsum delecti conclaue Comitio propinquum subibant: vnde ipsi neq; quempiã viderent, neq; ab vlllo viderentur. Tum vero, ut primo, alteroue loco competitorum nomina sortito educta essent, quantus vocũ assensus ad singula nomina ortus esset, diligenter attendebant: ac quoto quisq; clamor loco maior minorue esset ad ipsorum aures redditus tabella pernotare, ex qua in publicũ missa percipiebant, cui competitorũ plures, essent voces suffragatę. Primus ad hæc Lycurgus omni superstitione sublata permisit cadauera in vrbe sepeliri, tum etiã circa templa sortiri monumenta. Nec viri nec foeminae nomen licebat cuiq; sepulchro inscribere, nisi eorũ, qui fortiter in bello perisissent. Lugendi tempus vndecim erat diebus finitum. Nec ciuibus peregrinari permissum, ne alienos mores vrbi importarent. Quin & peregre eo delati, nisi qui reipublicę utiles essent, vrbe excludebantur. Ne quid (ut Thucydides habet) Laconicę disciplinę peregrinę gentes imbibere, quod satis inhumane haud immeri-

Cæsus tibiã  
rũ in bello v  
surpatus

Citharę con  
centu in pro  
cinctu Lace  
dæmones  
vsi

Cornuũ & li  
tuorũ concen  
tu clamoreq;  
Romani bel  
lum capesse  
bant.

Galli est tri  
pudio bellũ  
inierunt.  
Barbari cum  
ululatu

Rex bellum  
initurus Mu  
sis sacrificaba  
t.

Suffragandi  
ratio admi  
randa

Cadauera in  
vrbe sepelire  
permissum.

Luctus fune  
bris vndeci  
diebus.

Peregrinari  
Lacedæmoni  
bus phibi  
tum

## De oim gentiū ritibus.

rō aliquis dixerit. Vel vt Plutarchus scribit, ne mutuo congressu noui sermo-  
 nes in vrbe orirent. & ex his noua iudicia, dissonantēq; voluntates, que publice  
 rei perniciosissimę esse solent. Iuuenibus Lycurgus nō amplius vna veste toto  
 Iuuenū vesti-  
 tus anno vri permisit, nec aliquem cultus q̄ alterum: nō splendidius, vt dictum  
 est, epulari. Emi singula nō pecunia, sed mercū compensatione iussit. Pue-  
 ros puberes nō in forum, sed in agrum deduci iussit, vt primos annos nō in  
 Pueri in agri-  
 rō in forum  
 ducebant luxuria, sed in omni labore & opere agerent. Nihil eos somni causa subster-  
 nere, & vitam sine pulmento degere, nec prius in urbem redire, q̄ viri facti  
 essent statuit. Virgines sine dote nubere iussit, vt vxores nō pecunię causa eli-  
 Virgines si-  
 ne dote nu-  
 bere gerentur: s̄u eriusq; matrimonia sua viri coercerent, quum nullis franis do-  
 tis tenerent. Maximū honorem nō diuitum & potentum, sed senū esse vo-  
 luit, nec vsq; terrarū locum honoratiorem senectus habet. Regibus potesta-  
 tem bellorū, magistratibus iudicia, & annuas successiones, senatui custodiam  
 Senū apud  
 Lacedæmo-  
 nes honora-  
 tissimū legum: populocq; sublegendi senatū vel creandi, quos vellet magistratus po-  
 testatem concessit. Hęc quoniā leges aut noua instituta solutis antea mori-  
 bus dura esse videbant: eorum authorem Apollinem Delphicū finxit: & in  
 de se eas ex pręcepto Numinis detulisse, vt consuecendi tædium metus reli-  
 gionis euincat. Deinde, vt æternitatem suis legibus daret, iureiurando ciuita-  
 tem obligauit. nihil eorum que sanxisset mutaturā, priusq; reuerteretur: se ad  
 oraculum Delphicū profecturū, consulturum quid mutandū addendumue  
 Apollo au-  
 thor legū a-  
 pud Lacedæ-  
 mones. legibus suis illi videatur: proficiscit̄ autem Cretam, ibiq; perpetuum exilium  
 egit: pręcepit etiam moriens ossa sua in mare abijci, ne Lacedæmonem dela-  
 ta Spartani se de nō mutandis legibus a iuramento absolutos putarent. Li-  
 bet hic quoq; assignare quas dignationes Regibus suis Spartiatę olim tribu-  
 erunt: duo sacerdotia Iouis Lacedæmonij, & Iouis Cœlestis; & ius belli in  
 Regū Sparty-  
 riararū digna-  
 tiones. quamcunq; libuerit regionem inferendi, vt id nulli Spartiatę prohibere fas  
 sit, alioqui piaculari crimine teneatur, vt in expeditionibus ad eundis primi  
 eant reges, in abeunda postremisint. Centum delecti viri eis in militia custo-  
 des adsint. In egressibus vtantur quotcunq; pecoribus libuerit, quorū immo-  
 latorum pelles omnes ac terga accipiant. Bellica hęc. Alia sunt que pacis tem-  
 pore eis tribuuntur, quoties in aliqua republica euisceratio sit, primi in cœ-  
 na reges discumbant, & ijs primis distribui incipiat, vtriq; eorum duplū om-  
 nium q̄ cæteris conuiuiis, libaminaq; immolatorū & coria eorum sint. Singu-  
 lis quoq; kalendis instantis mensis singula pecora vtriq; e publico dentur  
 Apollini immolanda, & farinę medimnum, i. sex modia, & vini Lacedæmonicus  
 Pythij qui  
 vocari quartarius. Et in spectaculis singulorū certaminū certis locis præsideant, liceat  
 atq; quibuscunq; libeat ciuibus innit̄, & vtriq; binos eligere Pythios. Sunt  
 autem Pythij, qui Delphos ad consulenda oracula mittuntur, quicq; publice  
 cum regibus pascuntur. Regibus ad cœnam non euntibus binę Chœnices, i.  
 Choenix.  
 Coryla. semodia farinæ: & vini singulę Corylæ, i. sextarij; præsentibus dupla dentur  
 omnia. Eadem ratione pupilla vtriq; danda sit ei ne cui mater an cui pater de-  
 sponderat, necnon de vñs publicis, & si quis adoptiuum filium facere velit  
 inuitis regibus. Liceat quoq; eis pro suo arbitrio assidere in senatu, qui con-

stat ex duo de triginta senibus : si eo nō accesserint eorum maxime propin-  
 qui, duo senatores ius regum obtineant, duos calculos ponendi, terciū pro se  
 ipsis, viuentibus hæc regibus a republica Spartiatarū tribuuntur, illa defun-  
 ctis. Equites per vniuersam Laconicam orbitum Regis enunciant, Fœminæ  
 per urbem circumeuntes ollas pulstant: quūq; hoc fit, necesse est, ex singulis  
 domibus duos ingenuos, marem & fœminā luctu fœdari, magnis pœnis (ni  
 si hoc faxint) impositis. Eadem circa funus regū consuetudo Lacedæmonijs  
 est, quæ Barbaris Asiaticis, Nam plærīq; Barbarorū eodem ritu in mortibus  
 regum vtuntur. Siquidem posteaq; mortem obiit Lacedæmoniorū rex, oportet  
 eius exequijs adesse ex omni Lacedæmonis regione necessarios quosq;  
 Spartiatarū, qui sunt numero vicenorū, quorum & item seruorū atq; ipsorum  
 Spartiatarū: posteaq; multa milia in vnum coacta sunt promiscua cū mulie-  
 ribus frontes suas intrepide plangunt, & vlulatu immenso vtuntur. vltimū  
 quenz; regum dicentes semper fuisse optimū. Qui vero regum in bello pe-  
 riit, eius simulacrū, quum expresserunt, in thoro beneftrato efferunt: cuius  
 tumulatione decem dies iusticiū est, nullusq; magistratuū confessus, sed  
 luctus continuus: in hoc quoq; cum Persis isti conueniunt, q; defuncto rege  
 alter, qui succedit, liberat ære alieno: quicunq; Spartiata aliquid aut regi aut  
 reipublice debebat. Apud Persas, qui rex creatus est, omnibus ciuitatibus tri-  
 butum, quod debebat remittit. Cum Ægyptijs etiam Lacedæmonij in hoc  
 congruunt, q; eorum præcones & tibicines & coqui in paterna artificia succe-  
 dunt, & coquus e coquo, & tibicen ex tibicine, & præco ex præcone gignitur,  
 neq; vlli propter vocalitatem alijs insidiantes seiplos ingerunt, sed in pater-  
 no opere perseverant, atq; hæc quidem ita fiunt.

Honor defū-  
 ctis regibus  
 exhibitus

Barbarorū a  
 siāncorū mos  
 in regū mor-  
 te.

Exegæ regū  
 Lacedæmo-  
 niarū.

Publicus in  
 Lacedæmo-  
 niarū regum  
 funere luctus.

Tumulatio.

Persæ & La-  
 cedæmonij  
 conueniunt.  
 Ægyptij & la-  
 cedæmonij  
 conueniunt.

iusticiū. i.  
 iuris dicitur  
 in inter-  
 uillio

De Creta insula, & Cretensium celebratis  
 moribus. Cap. Quartum.

Creta, quæ & Candia dicitur, insula in medio ponto Centū urbium fa-  
 ma clara: hæc vt Strabo scribit a septentrione Ægeoalluitus pelago &  
 Cretico, ab austro Libyco, ad occidentem Egiptam & Cythera spectat,  
 ad orientem Carpathon, habet in longitudine, cclxx. milia passuū, in latitudi-  
 ne quinquaginta milia. Circuitus eius. dlxxx. milia passuū complectitur. In-  
 signes in ea vrbes sunt Cortina Cydonea Gnosum, Minois regia, & Strabo  
 nis chronographi patria. & Ida mons omniū qui in ea sunt celeberrimus,  
 celsissimo is vertice assurgit. Apollodorus longitudinem eius duū milium  
 trecentūq; stadiorū tradit, circuitū quinq; milium & amplius. Artemidorus  
 mille minus. Nullū in Creta animal noxiū est. Serpens ibi nulla: nulla no-  
 ctua: & si inueniat statim morit. Capris copiosa. Ceruis eget. Optimi vini fe-  
 racissima. herbā producit, quæ diptamos dicit: & Alunolam, quæ morfa diu-  
 turnam famem phibet. Sfalangos etiā venenatos gignit, & lapidem q; Idæus  
 dactylus dicit. Cureta olim vocabat̃ ab habitantibus Curetibus & per synco-  
 pam Creta. Alij dicunt Cretā dictā a Crete quodā Iouis filio Curetū Rege.  
 Alij a Crete Nymp̃ha Hesperidis filia. Incultū hoīm genus a principio ha-  
 buit Rhadamanthus ad mansuetiores vitæ ritus pduxit; sequutus inde Mi-

Crete descri-  
 ptio

Idæ montis  
 descriptio.

In Creta nul-  
 lum animal  
 noxiū

Creta Cre-  
 ta per synco-  
 pam